

3. Præterea. Officiosum mendacium plus habet de ratione mendacii quam jocosum, ut ex dictis patet. Cum ergo jocosum mendacium præponatur officioso, videtur quod inconvenienter ordinetur.

4. Præterea. Cuiusque malitia propter seipsam placet, videtur in Spiritum Sanctum peccare. Sed peccatum in Spiritum Sanctum est gravissimum; ut in II. Libr. (distinct. XLIII. quæst. 1. art. 2.) dictum est. Cum ergo ille qui mentitur sola mentendi libidine, in ipsa malitia delectari videatur, videtur quod hoc mendacium cæteris sit gravius: quod tamen quarto loco ponitur.

5. Præterea. Quanto majus nocumentum per mendacium evitatur, tanto est minus peccatum. Sed majus damnum est corporis mors quam corporis immunditia. Ergo septimum mendacium, quod fit ad tuendum vitam, deberet postponi octavo, quod fit ad tuendum aliquem ab immunditia corporali. In contrarium est auctoritas Augustini in Libro de mendacio (cap. XIV.)

SOLUTIO

Respondeo dicendum, quod quodlibet peccatum secundum suum genus habet aliquam quantitatem, cui addi, vel subtrahi potest ratione alicujus adjuncti: unde & quantitas mendacii secundum tres gradus potest considerari. Primus gradus est quando quantitas mendacii ex aliquo adjuncto augmentatur. Hoc autem adjunctum, mendacium aggravans, est vel profanatio divinorum, quæ est conditio maxime aggravans; & ideo mendacium quod fit in doctrina religionis, ponitur primum: vel est nocumentum proximorum, quod quidem mitigatur, si nocumento aliqua utilitas adjungatur; & ideo in secundo ordine ponitur mendacium quod (1) alicui obest, & nulli prodest; in tertio vero mendacium quod alicui prodest, & nulli obest. Secundus vero gradus mendacii consideratur sine additione, vel diminutione. Sed quia in quolibet genere peccati gravius est peccatum quod ex habitu procedit, in quantum ex libidine majori fit; ideo in quarto loco ponitur mendacium quod fit ex libidine mentendi: quia unicuique habenti habitum delectabilis est operatio secundum proprium habitum. Quinto vero loco ponitur mendacium quod non videtur ex habitu procedere, sed ex intentione alicujus finis extranei, quæ tamen mendacium non aggravat, nec alleviat, sicut quod fit ex intentione placendi, vel delectandi. Tertius gradus est in quo consideratur quantitas mendacii diminuta ex aliquo adjuncto, quod est intentio utilitatis, quæ tanto magis alleviat, quanto damnum est gravius quod vitatur: & ideo in sexto loco ponitur mendacium, quod fit ad vitandum sublevationem pecunie; septimum mendacium quod fit ad vitandum occisionem: octavum ad vitandum deturpationem libidinis, quod propter propinquitatem consensus, vix sine peccato esse potest. Ad primum ergo dicendum; quod ille qui disputando falsum loquitur, quamvis scienter, non mentitur, nisi asserendo dicat; quia non ex sua persona falsum illud enuntiat, sed gerens personam veritatem negantis.

(1) Al. deest alicui.

Ad secundum dicendum, quod distinctio istorum graduum, & ordo accipiuntur cæteris paribus; unde in aliquo casu illud quod est secundum, potest esse primum, & sic de aliis est.

Ad tertium dicendum, quod quamvis mendacium officiosum habeat plus de ratione mendacii quam jocosum, in quantum habet plus de assertione; tamen officiosum habet minus de malo ratione utilitatis adjunctæ, & ideo est minus peccatum.

Ad quartum dicendum, quod, sicut in Lib. II. distinct. penult. (quæst. 1. art. 2. in corp.) dictum est, non omne peccatum quod fit ex electione habitus, est peccatum in Spiritum Sanctum; alias non esset speciale genus peccati; & ideo hoc mendacium quod fit ex mentendi libidine, cum procedat ex inclinatione habitus, & non ex rebellione voluntatis ad aliquod eorum quibus à peccato liberamur, quod est proprium peccati in Spiritum Sanctum, non erit peccatum in Spiritum Sanctum.

Ad quintum dicendum, quod immunditia corporalis hic intelligitur quæ habet vicinitatem ad peccatum, ratione cuius majus damnum reputatur quam corporis mors.

EXPOSITIO TEXTUS.

Ne pro corpore alterius animam suam occidat. Quod sic vitari potest secundum Augustinum in Lib. de mendacio (cap. XIII.) Si enim aliquis ad mortem quærat, simpliciter nobis interrogatis de eo sine loci determinatione, respondendum est, quod cum non prodemus, etiam si oporteat nos tormenta sustinere: pro quo facto quemdam Episcopum laudat. Si autem interrogamus, utrum sit in illo loco determinato, respondendum est: Scio ubi est, sed non dicam.

Præcipue si iteretur. Hoc dicitur in quantum multiplicatio venialium disponit ad mortale.

Ut ab immunditia corporali aliquem tueatur. Sed quid faciendum est ipsi mulieri, si propter libidinem, vel immunditiam quærat? Quidam dicunt, quod si sentit se perfectam, non debet mentiri: quia in ipsius violationem non consentit, & sic immunis à peccato erit. Si autem sentit se imperfectam, debet veniale peccatum committere potius quam incurrat peccati mortalis periculum. Sed melius dicendum, quod si propositum non consentiendi habet, spem suam in Deo ponere debet, qui non patitur tentari supra posse, & non debet venialiter peccare. Ex hoc enim ipso quod ponitur aliquid debitum, vel dignum fieri, auferitur omnis ratio peccati. Et ita omne mendacium non esset peccatum, quod est contra Augustinum.

Nec omne mendacium isto præcepto prohiberi videtur. Intelligendum est directe sicut contrarium præcepto.

Nec præmissa descriptione mendacium jocosum includi. Verum est, si intelligatur intentio fallendi, secundum quod fallacia est non tantum in dicente, sed etiam in audiente qui fallitur, ut dictum est.

DIS-

DISTINCTIO XXXIX.

De perjurio.

NUNC de perjurio videamus. Perjurium est mendacium juramento firmatum. Hic quaeritur, utrum sit perjurium ubi non est mendacium: quod quibusdam videtur ex auctoritate Hieronymi dicentis (super Hierem. cap. IV. in princ.), Advertendum est, quod jusjurandum tres habet comites, veritatem, iudicium, & iustitiam. Si ista defuerint, non erit juramentum, sed perjurium. Ubi autem falsum juratur, veritas deest. Si ergo falsum iuratur, etsi non sit ibi intentio fallendi, videtur esse perjurium, quia deest veritas. Quibusdam placet non esse perjurium ubi non est mendacium; & sicut dicitur aliquando falsum sine mendacio, ita iuratur falsum sine perjurio. Falsum forte dixit Apostolus, cum se venturum ad Corinthios promisit (I. Corinth. ult.) nec tamen, sicut ei imponebatur, culpam mendacii contraxit, quia sic animo sentiebat: & si juramento illud confirmasset, non perjurium incurrisset: quia quantum in ipso fuit, verum dixit; & si iuramentum addidisset, quantum in se foret, verum iurasset; etsi aliter eveniret quam dixit. Ideo sicut quis non est mendax nisi aliter sentiat animum quam dicit, sive ita sit, sive non; ita videtur quibusdam neminem perjurum constituit, nisi aliter sentiat in animo quam loquatur, sive ita sit, sive non.

De triplici modo perjurii.

SED melius creditur & ille pejerare qui falsum voluntate fallendi jurat, & qui falsum putans quod verum est, jurat, & qui verum putans quod falsum est, jurat. Unde Augustinus (de verb. Apost. serm. XXVIII.), Homines falsum jurant, vel cum fallant, vel cum falluntur. Aut putat homo verum esse, se quod falsum est, & temere jurat; aut scit, vel putat falsum esse, & tamen pro vero jurat; & nihilominus cum scelere jurat. Distant autem ista duo perjuria quæ commemoravi. Fac illum jurare qui verum esse putat pro quo jurat; verum putat esse, & tamen falsum est. Non ex animo iste perjurat, sed fallitur: hoc pro vero habens quod falsum est, non pro falsa re sciens iuramentum interponit. Da alium qui scit falsum esse, & dicit verum esse, & jurat tamquam verum sit quod scit falsum esse. Videtis quam ista detestanda sit bellua? Fac alium qui putat falsum esse, & jurat tamquam verum sit, & verum forte est. Verbi gratia, ut intelligatis. Pluit in illo loco, & interrogas hominem, & dicit pluisse; & tunc pluit ibi, sed putat non pluisse: perjurus est. Interest quemadmodum verbum procedat ex animo. Ream linguam non facit nisi rea mens (1). Sit. His evidenter traditur, quod tripliciter pejerat, homo, ut supra diximus; dum vel sciens falsum jurat; vel putans falsum quod verum est; jurat; vel æstimans verum quod falsum est, jurat. Sed hoc extremum non videtur esse perjurium, etiam si perjurium nominetur; eo quod falsum iuratur: nec videtur esse reus perjurii qui sic jurat, quia non est mens ejus rea; & ideo nec lingua; immo ejus mens rea est, dum jurare præsumit quod perspicue verum non deprehendit. Non ergo omne perjurium mendacium est, nec omnis qui pejerat, mentitur; sed omnis mentiendo jurans pejerat, & omnis qui falsum jurat: sive mentiens, sive non, pejerat. Cum vero quis jurat quod verum est, æstimans esse falsum, quaeritur quid sit ibi perjurium. Ipsa enim significatio vocis vera est; quia verum nescienter loquitur. Non igitur ipsa significatio vel falsum, vel mendacium est, quia vera est; & quod verum est, perjurium non videtur esse. Ad quod dicimus, loqui sic, scilicet contra mentem, sub attestatione juramenti, esse perjurium. Mentiri ergo adhibita iuratione, perjurium est. Perjurium ergo est, vel jurando loqui falsum cum intentione fallendi, vel jurando loqui falsum sine intentione fallendi.

Oppositio.

HIC opponitur. Si omnis qui falsum jurat, pejerat, tunc qui alicui promittit dare sub certo termino aliquid, quod tamen non faciet, ex quo juravit, pejeravit, quia falsum juravit: non enim ita futurum erat ut juravit. Ad hoc dici potest, quia non omnis qui jurat quod falsum est, ex quo jurat perjurus est; sicut iste de quo agimus; sed ex quo propositum mutatur, vel terminum transgreditur, juratio talis fit perjurium reatu.

An juratio sit malum.

SI autem quaeritur, utrum jurare sit malum; dicimus aliquando malum esse, aliquando non. Sponte enim, & sine necessitate jurare, vel falsum jurare, peccatum grande est: ex necessitate autem jurare, scilicet vel ad asserendam innocentiam, vel ad fœdera pacis confirmanda, vel ad persuadendum auditoribus quod est eis utile; malum non est, quia necessarium est. Unde Augustinus, (de serm. Dom. in mo. Lib. I. cap. XVII. circa med.), Juramentum faciendum est in necessariis, cum pigri sunt homines credere quod eis est utile. Juratio non est bona, non tamen mala, cum est necessaria; id est, non est appetenda sicut bona, non tamen fugienda tamquam mala, cum est necessaria. Non est enim contra præceptum Dei juratio; sed ira intelligitur Dominus prohibuisse à juramento, ut quantum in ipso est, quisque non juraret, quod multi faciunt in ore habentes iuramentum tamquam magnum, atque sanave aliquid. Apostolus enim novit præceptum Domini, & tamen juravit. Prohibemur ergo (2) jurare cupiditate, vel delectatione jurandi. Quod ergo Christus ait in Evangelio (Math. v. 34.) Ego dico vobis, non jurare omnino: ita intelligitur præcepisse, ne quisquam sicut bonum appetat juramentum, & assiduitate jurandi labatur.

In III. Sent. Tom. III.

(1) Nicolai omittit sit. (2) Al. deest jurare.

in perjurium. Quod vero addidit: „Sit sermo vester, Est est, Non non: „bonum est, & appetendum.“ Quod autem amplius est, à malo est; id est, si jurare cogaris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid suades: quæ infirmitas utique malum est: unde quotidie precamur nos liberari, dicentes: „Libera nos à malo.“ Ideo non dixit: Quod amplius est, malum est. Tu enim non facis malum, qui bene uteris juratione; sed à malo est illius qui aliter non credit, id est ab infirmitate, quæ aliquando pœna est, aliquando pœna, & culpa. Ibi ergo Dominus prohibuit malum, suavit bonum, inclusit necessarium.

De juramento quod fit per creaturas.

Quæritur, utrum etiam liceat jurare per creaturam; quod non videtur, cum in lege scriptum sit (ut Matth. v. 33.) „Reddes autem Domino juramenta tua:“ & Christus in Evangelio (ibid. 34.) præcipiat „non jurare omnino neque per cœlum, nec per terram, nec per Hierosolimam, nec per caput tuum.“ Judæis (1) quidem quasi parvulis concessum fuit jurare per Creatorem, & præceptum ut, si jurare contingeret, non nisi per Creatorem jurarent, non per creaturam: quia jurantes per Angelos, & elementa, creaturas venerabantur honore: & melius erat hoc exhiberi Deo quam creaturis. Infirmitas ergo illud prohibuit; sanctis vero qui in creaturis Creatorem venerabantur tantum, non prohibuit. Unde Joseph per salutem Pharaonis juravit (Gen. XLII.) Dei iudicium in eo veneratus, quo positus erat in infirmitas. Christus vero ita per creaturas jurare prohibuit, ne vel aliquid divinum in eis crederetur, pro quo reverentia eis deberetur, vel ne per eas jurantes falsum homines se juramento non teneri putarent.

Quæ juratio magis teneatur, an quæ fit per Deum, an quæ fit per Evangelia, vel per creaturas.

SI quæritur, quis magis teneatur, an qui per Deum, an qui per Evangelium, vel per creaturas jurat: dicimus, qui per Deum, quia per eum hæc facta, & sancta sunt. Unde Chrysostomus: (a) „Si quæ causa fuerit, modicum videtur facere qui jurat per Deum; qui vero per Evangelium, majus aliquid fecisse videtur. Quibus dicendum est: Stulti. Scripturæ propter Deum sanctæ sunt, non Deus propter Scripturas; ita & creaturæ sanctæ sunt propter Deum.“

Quid est dicere, Per Deum.

HIC quæritur, quid sit dicere, Per Deum juro: hoc est testem adhibere Deum. Juravit enim Apostolus (Rom. I. 9.) „Testis est mihi Deus;“ ac si dixisset, Per Deum ita est. Unde Augustinus (de verb. Apostoli serm. xxviii. cap. v.) „Ridiculum est (2) putare, quod si dicas, Per Deum, juras: si dicas, Testis est Deus, non juras. Quid enim est, Per Deum, nisi testis est Deus? Aut quid est, Testis est Deus, nisi Per Deum jurare? Quid autem est jurare, nisi jus Deo reddere, quando per Deum juras, jus scilicet veritatis, & non falsitatis? Item (cap. xli.) „Ecce dico charitati vestræ; & qui per lapidem jurat falsum, perjurus est: quia non lapidem, qui non audit, sed ejus creatorem adhibet testem. Hoc est ergo jurare per quamlibet creaturam, scilicet creatorem ejus testem adhibere. Est etiam quoddam genus juramenti gravissimum, quod fit per execrationem, ut cum homo dicit; Si istud feci, illud patiar, vel illud contingat filiis meis: secundum quem modum accipitur etiam interdum, cum aliquis jurando dicit, Per salutem meam, vel, Per filios meos; & hujusmodi: obligat enim hæc Deo. Unde Augustinus (ibid. cap. vi.) „Cum quis ait, Per salutem meam, salutem suam obligat Deo: cum dicit, Per filios meos, oppignorat eos Deo; ut hoc eveniat in caput eorum quod exit de ore ipsius: si verum, verum; si falsum, falsum. Et sicut per hoc jurans aliquando Deo hoc obligat, ita per Deum jurans ipsum adhibet testem.“ In omni ergo juratione aut Deus testis adhibetur, aut creatura Deo obligatur, & oppignoratur: ut hoc sit jurare, scilicet Deum testem adhibere, vel Deo aliquid oppignorare.

De illis qui jurant per falsos deos.

POST hoc quæritur, utrum fide ejus utendum sit qui per dæmonia, vel idola juraverit. De hoc Augustinus scribens ad Publicolam (epist. cliv.) ait: „Te prius considerare volo, utrum si quisquam per deos falsos juraverit, & fidem non servaverit; non ne tibi videtur bis peccasse? Bis utique peccavit, quia & juravit per quos non debuit, & contra politicam fecit fidem, quod non debuit. Ideoque qui utitur fide illius quem constat jurasse per deos falsos, & utitur non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius se sociat qui per dæmonia juravit, sed bono pacto ejus qui fidem servavit. Et sine dubitatione minus malum est per deos falsos jurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter: quanto enim per quod juratur, magis sanctum est, tanto magis penale perjurium est.“

Quod juramentum, quo incaute juratur, non est observandum; nec votum, vel promissio injuste facta.

NUNC superest investigare, utrum omne juramentum implendum sit. Si enim quis aliquid juraverit contra fidem, & charitatem, quod observatum pejorem vergat in exitum, potius est mutandum quam adimplendum. Unde Ambrosius de offic. Lib. I. cap. L.) „Est contra officium nonnumquam promissum solvere sacramentum, ut Herodes fecit.“ Item Isidorus: (b) „In malis promissis rescinde fidem: in

(1) Al. deest quidem. (2) Al. putare hoc si dicas &c.
Ex Edit. P. NICOL. (a) Sive Auctor operis imperfecti hom. XLIV. in Matth. ex qua refertur in Decretis caus. XXI. quæst. I. cap. Si aliqua. (b) Lib. II. Synonymorum. Utraque Isidori appendix refertur in Decretis caus. XXI. quæst. IV. tum cap. In malis, tum cap. Non est.

in turpi voto muta decretum. Quod incaute vovisti, non facias: impia enim est promissio quæ scelere adimpletur. Idem: (a) „Non est observandum sacramentum quo malum incaute promittitur; ut si quis adulteræ perpetuam fidem cum ea permanendi polliceatur. Tolerabilius est enim non implere sacramentum quam permanere in stupro.“ Item Beda (homil. XLIV. in decoll. S. Joan.) „Si quid nos incautus jurare contigerit, quod observatum pejorem vergat in exitum; libere illud salubriori consilio mutandum noverimus, ac magis instante necessitate pejerandum esse nobis quam pro vitando perjurio in aliud crimen gravius esse divertendum. Denique juravit David per Deum occidere Nabal virum stultum; sed ad primam intercessionem Abigail fœminæ prudentis remisit minas. Revocavit ensem in vaginam, nec aliquid culpæ se tali perjurio contraxisse, doluit.“ Item Augustinus ait: (b) „Quod David juramentum per sanguinis effusionem non implevit, major pietas fuit. Juravit David temere, sed non implevit jurationem majori pietate.“ Ex his, aliisque pluribus ostenditur quædam juramenta non observanda esse: & qui sic jurat, vehementer peccat; cum autem mutat, bene facit; qui autem non mutat: dupliciter peccat, & quia injuste juravit, & quia facit quod non debet.

Si est perjurus qui non facit quod incaute juravit.

QUI vero mutat, utrum perjurus debeat dici, solet quæri. Beda supra (hom. XLIV. tale juramentum vocavit perjurium. Joannes etiam Apocrisarius orientalium sedium dixit. (c) „Sermo patris nostri Sophronii significat, quod melius est jurantem perjurare, quam servare sacramentum in fractione sanctarum imaginum.“ Sed perjurium dicitur tale juramentum non observatum, & pejerare qui non implet, quia falsum juravit: non quia inde reus sit quod non observat; sed quia juravit injustum, ex quo reus est, sicut ille qui pejerat.

De eo qui verborum calliditate jurat.

HOC etiam sciendum est, quod quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiam testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui juratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit qui & nomen Dei in vanum assumit, & proximum in dolo capit.

De illo qui cogit aliquem jurare.

Quæritur etiam, si peccat qui hominem jurare cogit. De hoc Augustinus ait (serm. xxviii. de verbis Apost. versus finem.) „Qui exigit jurationem, multum interest, si nescit illum juraturum falsum, an scit. Si enim nescit, & ideo (1) dicit, Jura mihi, ut fides ei sit; non est peccatum, tamen humana tentatio est. Si vero scit eum fecisse, & cogit eum jurare; homicida est.“ Idem (in serm. II. de decoll. Joann. vel x. de sanct.) „Si provocat hominem ad juramentum, & scit eum falsum jurare, vincit homicidam: quia homicida corpus occisurum est, ille animam; immo duas animas, & ejus quem jurare provocavit, & suam.“

Ex concilio Aurelianensi.

SANCTA Synodus decrevit nisi pro pace faciendâ, ut omnes fideles jejuni ad sacramentum accedant.

DIVISIO TEXTUS.

POSTquam determinavit Magister de mendacio, hic determinat de perjurio: & dividitur in duas partes. In prima determinat de perjurio; in secunda de juramento, ibi: Si autem quæritur, utrum jurare sit malum; dicimus aliquando malum esse, aliquando non. Circa primum duo facit. Primo diffinit perjurium; secundo circa diffinitionem movet quendam quæstionem, ibi: Hic quæritur, utrum sit perjurium, ubi non est mendacium. Circa quod tria facit. Primo movet quæstionem, & ponit opinionem ad alteram partem quæstionis. Secundo ponit opinionem ad contrariam partem, ibi: Quibusdam placet, quibusdam non placet. Tertio veritatem determinat, ibi: Sed melius creditur. Circa quod duo facit. Primo determinat veritatem; secundo circa determinationem movet duas quæstiones: quarum prima incipit ibi: Cum vero quis jurat quod verum est, æstimans esse falsum, quæritur quid sit ibi perjurium. Secunda ibi: Hic opponitur &c.

Si autem quærat, utrum jurare sit malum; dicimus aliquando malum esse, aliquando non. Hic determinat de juramento: & primo determinat de ipso In III. Sent. Tom. III.

(1) Al. dicit juramentum, ut fides &c.

EX EDIT. P. NICOLAI. (a) Lib. II. Sentent. sive de summo Bono cap. 111. (b) In serm. de decollat. S. Joannis, vel x. de Sanctis. Ultima hujus appendicis expresse habet Augustinus, præcedentia vero æquivalenter tantum. (c) Ut refertur in Decretis cap. XXI. quæst. IV. cap. Actione velut ex act. IV. Septimæ Synodi generalis.

Ill

Nunc

Nunc superest videre, utrum omne juramentum implendum sit. Hic determinat de obligatione juramenti, & circa hoc tria facit. Primo ostendit in quo casu juramentum obliget. Secundo utrum incuratur perjurium ex juramento non obligatorio, ibi: *Qui vero immutat, utrum perjurus debeat dici, solet quæri. Quæritur etiam si peccat qui hominem jurare cogit.* Hic duo facit. Primo inquit, utrum liceat juramentum exigere; secundo quo tempore ad juramenta convenire debeant, ibi: *Sancta Synodus decrevit etc.*

QUÆSTIO I.

HIC quærantur quinque.
Primo. Quid sit juramentum.
Secundo. An juramentum sit licitum.
Tertio. De obligatione juramenti.
Quarto. Quid sit perjurium.
Quinto. Utrum omne perjurium, sive juramenti abusus, sit peccatum mortale.

ARTICULUS I.

Utrum jurare sit idem quod Deum in testem invocare.

2. 2. quæst. LXXXIX. art. 1.

1. AD primum sic proceditur. Videtur quod jurare non sit idem quod Deum in testem invocare. Aliquando enim, ut in littera dicitur, licitum est per creaturas jurare. Sed tunc non videtur invocari divinum testimonium: sed magis testimonium creaturæ. Ergo jurare non est Deum in testem invocare.

2. Præterea. Apostolus ad Hebr. cap. vi. dicit quod homines per majorem se jurant: nec hoc solum de Deo intelligitur, sed etiam de hominibus, qui supra nos sunt: quia Joseph per salutem Pharaonis juravit. Ergo jurare non est idem quod Deum in testem invocare.

3. Præterea. Non est idem esse judicem, & testem. Sed in juramento quod fit per execrationem, Deus videtur invocari ut judex, ut cum dicimus: *Si hoc feci, ita mihi accidat*: qui modus ponitur Job xxxi. Ergo non omne juramentum fit per invocationem divini testimonii.

4. Præterea. Accipere testimonium à Deo, & ab homine non differt nisi materialiter. Sed ille qui invocatur hominem in testem, non dicitur per hominem jurare. Ergo & ille qui invocatur Deum in testem, non dicitur per Deum jurare.

5. Præterea. In littera dicitur ex verbis Augustini: *Jurare est jus veritatis Deo reddere.* Sed quicumque verum dicit, etiam si nullum invocet testimonium, jus veritatis Deo reddit. Ergo ad juramentum non exigitur invocatio divini testimonii.

Sed contra est quod dicit Augustinus, & habetur in littera: *Quid est jurare per Deum, nisi testis est Deus?* Sed ista est communissima forma jurandi. Ergo juramentum est invocatio divini testimonii.

Præterea. Omne illud quod ad confirmandum aliquid assumitur, quodammodo dat ei testimonium. Sed in juramento divina veritas ad confirmationem nostri dicti inducitur. Ergo jurare est Deum testem invocare.

Præterea. Controversiæ non solent nisi testibus terminari. Sed finis omnis controversiæ est juramen-

(1) Al. indicans. (2) Nicolai enim.

tum, ut dicit Apostolus ad Heb. cap. vi. Ergo juramentum videtur esse aliqua invocatio divini testimonii.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod juramentum proprie fit ad confirmationem eorum quæ in dubium veniunt audenti, de quibus loquens vel certitudinem habet, vel dicit se habere, & de illis dubiis quæ ex sui natura dubitationem habent, sicut sunt facta contingentiæ, quæ per rationem confirmari non possunt. In aliis enim ridiculum videtur juramentum exhibere. Horum ergo dubiorum certitudo fieri non potest nisi per aliquem cujus scientiæ nihil desit, & cujus veritas infallibilis sit. Hoc autem in solo Deo invenitur, & ideo ejus testimonium solum ad hujusmodi confirmationem efficaciter est. Sed testimonium ejus aut assumitur ad hujus confirmationem quod jam exhibitum est; & hoc non vocatur juramentum, sed magis probatio per auctoritatem: vel invocatur ad exhibendum; & hoc proprie juramentum est. Et ideo aliquod juramentum fit in quo simpliciter divinum testimonium invocatur, ut cum dicitur: *Testis est mihi Deus*: aliquid vero in quo ipsius testis invocati reverentia, qui testimonium credibile facit, proponitur, vel in seipso, ut cum dicitur: *Per Deum*; vel *vivit Dominus*; vel in aliquo ejus effectu præcipuo, ut cum juratur per cælum, vel per evangelium, vel per Sanctos. Aliquando vero ipse modus testificationis specificatur, ut cum dicitur: *Si non est ita, hoc mihi accidat*.

Ad primum ergo dicendum, quod cum quis per creaturam jurat, ejus Deum invocatur. Hoc enim potest dupliciter fieri. Uno modo per aliquam creaturam, in qua divina magnificentia ostenditur, quæ in testimonium inducitur. Alio modo dicitur in illa creatura effectus divinæ testificationis exquiri, ut cum dicitur: *Per caput meum*, vel *per salutem meam*.

Ad secundum dicendum, quod Joseph jurans per salutem Pharaonis, utroque dictorum modorum jurare potuit, vel quasi oppignorans Deo salutem Pharaonis, cui astrictus erat; vel in potestate Pharaonis divinam magnificentiam venerans, & in testimonium inducens.

Ad tertium dicendum, quod hoc ipso quod Deus judex efficitur, mendacium (1) vindicans, testificatur veritatem, vel falsitatem dicentis.

Ad quintum dicendum, quod sicut veneratio quæ fit summæ majestati, habet specialem modum, & nomen præ aliis venerationibus exhibitis, quibuscumque (dicitur enim latine) ita etiam invocatio testimonii infallibilis veritatis habet specialem rationem, & nomen testificandi præ aliis testimoniis: & ideo invocare hominem in testem, & similiter servire homini, non est ei latram exhibere, sicut servire Deo. Ideo tamen licet per creaturam jurare, non autem creaturæ latram exhibere, quia testificatio divina in manifestatione consistit: divina (2) autem nobis per creaturas manifestantur. Sed latra exhibitur ipsi in quantum in se summus est; & ideo non exhibitur sibi in aliqua creatura.

Ad ultimum dicendum, quod tunc proprie dicitur aliquis jus veritatis dicere à se Deo reddere, quando in ipsum sicut in primam originem omnis veritatis suum dictum reducit; quod non fit in simplici assertionem. Et ideo sciendum, quod juramentum quod fit per creaturas, quodammodo est licitum, &

quo-

quodammodo illicitum. Si enim aliquis per creaturam juret quasi per primam originem veritatis, illicitum est juramentum, & ad idolatriam pertinet. Si autem juret quis per creaturam ut in qua prima veritas relucet, sic licitum est juramentum.

ARTICULUS II.

Utrum juramentum sit de per se appetendis.

2. 2. quæst. LXXXIX. art. 2. 3. & 5.

1. AD secundum sic proceditur. Videtur quod juramentum sit de per se appetendis. Sicut enim in littera dicitur: *Jurare est jus veritatis Deo reddere.* Hoc autem est honestissimum, & appetendum. Ergo & juramentum.

2. Præterea. In littera dicitur ex verbis Augustini, vel Hieronymi comment. in Matth. v. *Quicumque jurat per aliquid veneratur illud.* Sed venerationem Deo exhibere est appetendum, & frequentandum. Ergo juramentum est hujusmodi.

3. Præterea. Omnis actus in quo Deo conformamur, est per se bonus. Sed jurare est hujusmodi: quia in Psalm. cix. dicitur: *Juravit Dominus, & non poenitebit eum.* Ergo juramentum est per se bonum.

Sed contra. Nullius per se boni cupiditas, vel delectatio prohibetur. Sed, sicut dicit Augustinus, Lib. de mendac. cap. xv. prohibemur jurare cupiditate, vel delectatione jurandi. Ergo jurare non est per se bonum.

Præterea. Cujuslibet per se boni frequentatio est utilis. Sed frequens juratio prohibetur in Eccli. xxiii. 9. *Jurationi non assuescat os tuum.* Ergo jurare non est bonum.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod etiam non sit licitum. Omne enim quod prohibetur, est illicitum. Sed juramentum est prohibitum: Matth. v. 34. *Ego autem dico, non jurare omnino*: & Jacobi. 12. *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare.* Ergo juramentum est illicitum.

2. Præterea. Nullius rei voluntas prohibetur, nisi peccati. Sed voluntas jurandi prohibetur, cum dicitur: *Nolite jurare, ut Sancti, & Magistri dicunt.* Ergo jurare est illicitum.

3. Præterea. In sortibus, & judiciis quæ fiunt per ignem, & aquam, vel per duellum, expectatur divinum testimonium; & propter hoc sunt prohibita, quia in his videtur esse quædam Dei tentatio: Sed juramentum est invocatio divini testimonii, ut dictum est. Ergo juramentum est illicitum.

Sed contra est quod Apostolus in multis locis juravit, ut patet Rom. 1. 9. *Testis est mihi Deus etc.* Præterea. Nullus actus cadens supra debitam materiam est illicitus, si non fiat ibi alterius circumstantiæ corruptio. Sed jurare per Deum, est actus cadens super debitam materiam. Ergo cum non importetur in hoc alienius circumstantiæ corruptio, videtur quod sit licitum.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod non requirantur ista

(1) In editis sibi.

tres comites qui in littera ponuntur, ad hoc, quod juramentum sit licitum, scilicet veritas, justitia, & judicium. Ubi enim non est veritas, non est justitia, quia veritas justitiæ pars est. Sed pars non debet dividi contra totum. Ergo veritas non debet connumerari justitiæ.

2. Præterea. Judicium non videtur aliud esse quam executio justitiæ. Ergo posita justitia, superfluum est ponere judicium.

3. Præterea. Juramentum quod fit sine istis comitibus, est perjurium, ut in littera dicitur. Si ergo judicium est comes juramenti, numquam licebit jurare extra judicium, quod falsum est.

4. Præterea. Multa alia requiruntur ad juramentum quam ista tria, sicut debita forma jurandi, debitum tempus, statutum, ut scilicet jejunii ad juramentum accedant, & multa hujusmodi. Ergo videtur quod non sint tantum tres comites juramenti.

5. Præterea. In omnibus factis nostris, requiruntur ista tria. Ergo non magis debent poni comites juramenti quam aliorum nostrorum operum.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod sicut in confirmatione quæ fit per rationes, duo sunt, scilicet medium probans, & id quod probatur; ita etiam in confirmatione juramenti est dictum humanum quasi probandum, & divinum testimonium quasi medium probans. Medium autem secundum artem syllogisticam debet esse ex eodem genere: unde in necessariis sumuntur necessaria; & in contingentibus contingentia. Veritas autem humanorum verborum est minima firmitatis, tum ex hoc quod error facile rationi accidit, tum ex hoc quod lingua prona est ad defectum; & ideo divinam veritatem, quæ est omnino infallibilis, ad hoc nostra confirmanda assumere non multum convenit, nisi necessitas incumbat. Et ideo juramentum non est computandum inter ea quæ sunt per se appetenda, sed inter ea, quæ propter necessitatem fiunt, sicut sunt bona utilia, ut secio vulneris, vel aliquid hujusmodi.

Ad primum ergo dicendum, quod supposito quod jurandum sit, jus tamen est, quod per Deum juretur, quia in hoc vis originalis omnis veritatis (1) verbi recognoscitur; non tamen oportet quod jurare simpliciter sit per se justum, & bonum, non enim, etc.

Ad secundum dicendum, quod veneratio divina consistit in ipso juramento quasi medio assumpto; sed applicatio ejus ad materiam in qua de facili est defectus, non est omnino conveniens.

Ad tertium dicendum, quod in juramento divino medium assumitur ex eodem genere: quia sicut Deus est immutabilis, ita etiam in dicto suo falsitas esse non potest: & propter hoc juramentum ejus est per se bonum: nec est simile de nostro juramento.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod aliquid potest habere indecentiam dupliciter, vel per se, vel ex eo quod sequitur. Quod autem ex se indecentiam habet, nullo modo potest licitum esse, quantumcumque necessitas incumbat, sicut patet in stupro, & in aliis quæ sunt mala ex genere. Quod autem habet indecentiam propter periculum sequens, duo requirit ad hoc quod convenienter fiat. Unum

est